



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XXVIII. Discessus Lutheri: Voluntarius eiusdem iter facientis raptus:  
Edictum Caesareum in eum promulgatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

que, nihil sibi opportunius occurtere, quam id quod ore Gáthalieis  
Scriptura pronuntiat: *Si est ex hominibus consilium hoc, opus dissolue-*  
*tur: si ex Deo est, non poteritis dissoluere illud.* Quà némpe ratione  
cohiceretur, Mahometis étiam superstitionem, atque idolorum  
cultum, esse à Deo, cùm per tot sacerdalia nondum dissolui potuerint:  
à Deo pariter esse Calvinismum, qui reuera est quasi quedam hæ-  
resis hæreses Lutheranæ, eamque multis ipsi ablatis Provinciis, po-  
tentia & auctoritas superauit. Et etiam verum est, has omnes consecu-  
tiones magistro Luthero facilè concedendas esse, cùm ille vel ipfa  
scelerata, Dei opera affirmare non dubiteret.

C A P V T XXVIII.

*Dissensus Lutheri: Voluntarius eiusdem iter facientis raptus:*  
*Edictum Cæsareum in eum promulgatum.*

**T**’ Reuirenſis, deferuēſcente iam ſpei calore pacificandæ Ger-  
maniae, adeoque ſedatiore animo rem pernoluens, enimue-  
rò ſenſit, cuinam periculo, oblatis huiusmodi cōditionibus,  
ſe obiecerat. Quapropter ex accepta repulſa latuſ, cupidusque ſe  
ab illis tricis proflus expediendi, quidquid actum fuerat Cæſari de-  
tulit. Nec deſtitere Pontificij adminiſtri ſtimulos addere ad rem  
maturandam. Tunc Cæſar iuſſit per Curiaꝝ miniftriſ Lutheruſ ita  
diſceſſum indici, vt intra viginti dies ab vniuersa Caroli ditione  
decederet, ſequē per viam à concionibus habendis, concitandisque  
populis abstineret. De ea denuntiatione per eosdem ille gratias egit  
Cæſari, addiditque ſe in omnibus obtemperaturum; ſed, vt ait Apo-  
ſtolum, *Verbum Dei non eſt alligatum: quo dicto ſuam obſeruatam*  
contumaciam expromebat aduersus præceptum de concionibus  
non habendis.

2 Profectus eſt igitur poſtero die, qui fuit 26. Aprilis, iſum dedu-  
cente eodem Cæſareo Feciali, extra portam Wormatiaꝝ 20. equi-  
tibus ſuā factionis exceptus. Poſt triduum Friburgum peruenit: ibi  
Fecialem dimiſit, cum literis ad Cæſarem animuſ ſuī ſimilitatem  
purgantibus, reddidit etiam eidem ministro publicaꝝ fidei chiro-  
graphum, ſubdens eo ſibi amplius haud opus eſſe. Creditum eſt, fa-  
itu quodam id à Martino peractum, quaſi ſemetipſo ſatis eſſet arma-  
tus: ſed reuera id egiſ, ne per concinnatum ab eo facinus, de quo  
dicemus, neceſſe foret custodiā Cæſaream violare; & quod magis  
fieret veriſimile, ſibi eo munimine ſpoliato à ſuis emulsi vam factam.

3 Thuringiam ingressus, Saxonis ditionem, poſt habitam Eysen-

Pars I.

Q

chi

1520. chi publicè concionem, excusasque ibi præmemoratas literas ad Carolum ab eo missas, quibus res omnibus innotesceret, die 3. Maij iter Wittembergam versus prosequitur. Siluam ingressurus multos ex equitibus dimittit, qui ad eum præsidij causâ conuenerant. Alios è comitibus præmittit, specie hospitijs opportunè parandi: ita quam maximè potuit incomitatus arripit iter per siluam. Illic duo nobiles viri, Frederico fidissimi, hominem inuadunt ore personato, curruque cohibito, deiectoque, ut imitarentur hostes, in solum aurigâ & verberato, per vim simulatam abripiunt Lutherum, & equo impositum, ac militari chlamyde occultatum, per noctis tenebras clâm in Westbergam arcem Saxonis, in monte à commerciis semotissimam, adducunt. Perstigit ibi nouem menses, laute quidem paetus, sed ita clausus, vt ab uno solùm iuuene nobili videri posset, cibos quotidie deferente. Quin hoc totum usque adeò delituit, vt ne ipse quidem Fredericus (sicuti narratur) sciuerit in quanam è suis cibis Martinus degeret, cum idem tamen prius rei peragende generatim dedisset mandata, peculiaris loci notitiâ sibi interdicta, quod fas esset in iurecurando, vti fecit, verè Cæsari affirmare, quod vbinam Lutherus moraretur ignoraret.

<sup>a</sup> Bzouius.  
Epistola 31.  
Aleandri.

Confestim raptus Nuntij Wormatiā peruenere. Plerique (vt Aleander Romano Pontifici significauit) ac in primis Cæsar, id quod erat suspicati sunt, eam videlicet ab aduersariis nequaquam captum, sed ab amicis subductum, ne in primo æstu Edicti iam imminentis grauius aliquid pateretur. Non tamen deerant, tam ex ipsis affeclis quam ex aliis inficioribus, qui cultores Romani Pontificis ob eam rem lacerarent, perinde quasi violatâ fide publicâ hominem in vinculis detinerent. Et sanè (prout semper in promptu est aliquis temerarius blatero, qui, quo rerum admirabilium spectatorem se venditet, suorum etiam oculorum testimonium pro mendacio adducit) fuit qui testatus sit, visum à se Lutheri cadauer transfusum, repertumque in argenti fodina sepultum: quæ res præferocem leuitatem illi fauentum tam vehementer concitauit, vt ambo Pontificis Nuntij in magnum vitæ discrimen adduci censerentur. Atque h̄c mihi veri dissimillimum sonat id quod narrat Suauis, antequam hoc accideret, proposuisse nonnullos in Conuentu, Lutherum esse interficiendum, nullâ fidei publicæ habitatione, & per unicam fidelitatis iacturam partâ Christianæ Republicæ tranquillitate. Profecto huiusce rei propositæ aliquid subiussit inuestigationi intentissimæ, quâ semper in eo negotio vñus est Aleander, nec illam sanè reticuissent ipsius literæ, quibus suum Princi-

Principem de rebus omnibus exactissimè certiorem reddebat: in 1520  
iis tamen nulla prorsus de hoc mentio habetur.

5 Interēa curauit Cæsar, vt publicæ res in Conuentu statuerentur, inter quas obtinuit Legationem ad Galliæ Regem Imperij nomine, suadentis vt abstineret ab inferenda Cæsari molestia: quod si Rex recusaret, decretum obtinuit de conscribendis communī sumptū vi-  
ginti millibus peditum, equitum verò quatuor millibus, ad Cæ-  
saris præsidium. In quo haud ita facilè consensissent, si quidquam priùs ille vehementius patrasset. Fauor siquidem amorq; in nouum Principem tantisper vigent, dum re ipsâ dominari non incipit, hoc est, potestatem plerisque grauem exercere. Inter hæc Aleandro man-  
dauit, vt Edicti formam conscriberet, quod ille perfecit. Fuit etiam deinde recognita ac reconcinnata in pluribus Cæsareis Conciliis, ac præcipue in Austriaco, vbi Lutheranum animum multi gerebant, et si leuior quam timebatur emendatio fuerit. Verumtamen ex-  
equendæ rei mora, cuius arcum vel ipsum summum Cancellarium latuit, Pontificios Ministros vehementer angebat, cùm soluto Con-  
uentu eâ se palmâ frustratos cernerent, quam suis iam manibus ante  
constringere sibi videbantur. At Principes, si velint prudenter rem suam gerere, sèpè imprudentiæ notam patientur oportet, eas causas obtegentes, quæ, instar radicū, fructuosæ non sunt nisi sepultæ.

6 Perfectis igitur ciuilibus negotiis, Cæsar cum actione gratiarum Ordines dimisit. Iussit tamen ad componendas minores controuer-  
sias adhuc quatriduum Wormatiæ vnumquemque persistere. Postea è domo vbi Conuentus habebatur, proprias in ædes concessit, qua-  
tuor Septemuiris comitantibus, cùm Saxo ante biduum fuisse di-  
gressus, & Palatinus Heidelbergam præuenisset, eiusdem illuc exci-  
piendi gratiæ, relictis tamen ab utroque Vicariis. Aderant etiam multi Principes, & magna vis nobilium ex Italia atque Hispania. Ibidem pariter iussu Cæsaris eum præstolabantur Caracciolum & A-  
leander, à quo tunc primū voluit, vt sibi redderetur postremum Diploma planè studiosissimum, quo & agebantur Cæsari gratiæ ob  
rem inceptam, & idem, vt inchoata perficeret rogabatur. Accep-  
rat iam ille multò anteā eius interpretationem gallicè ab Alean-  
dro, eam verò tam aptè concinneque contextam, vt ter legerit cum  
voluptate Cæsar. Quod sanè declarat, quantum conferat negotiis exquisita vel illarum literarum scriptio, quæ merae sunt urbanitatis,  
quantam etiam vel erga maximos, vel in rebus maximis quæcum-  
que res minima curam solertiamque deposcat. Hoc ergo Diploma  
solemniter exceptum, à magno Cancellario altâ voce recitatum,

Q 2

cunctis-

1520. cunctisque plaudentibus auditum. Post hæc, vt prius mandauerat Cæsar, delata sunt alia Diplomata ab iisdem Pontificiis Ministris, singula singulis Septemuiris: ceteris priuatim tradita, ad uitandam ex temporis prærogatiua æmulationem, adeoque offenditionem.

Deinde Cæsar Septemuiris ac Principibus exposuit, velle se aduersus Lutherum, iuxta ac in Conuentu fancitum fuerat, Edictum promulgare. Perlectaque ibi eius formulæ, Brandenburgicus Septemuir respondit communis nomine, eam cunctis placere, atque huiusmodi fuisse concordem totius Conuentus sententiam. Quæ omnia in publicas tabulas referenda curavit Aleander. Postridie manè 26. Maij (quamvis subscriptio, vt interdum vsuuenit, ad diem octauum reuocata fuerit) qui eo anno dies erat Dominicus Diuinæ Triadi nominatum sacer, cum Cæsar in templo adesset Nobilium frequenti coronâ cinctus, innumeraque populi multitudine stipatus, processit illi obuiam Aleander, duoque Edicti exemplaria latine alterum, alterum teutonicè scriptum obtulit, obsecravitque ut Cæsare subsubscriptione vtrumque firmaret: quod ille festiuissimo vultu peregit, adstantibus Cardinalibus Moguntino, qui vt Princeps Conuentus iam illud signauerat, & Sedunensi; ac statim vtraque exemplaria constictis typis edita, & vndique peruulgata. Placet hic Edicti tenorem apponere.

*Ad veri Romanorum Imperatorū officium pertinere, non modo fines Sacri Imperij, ad Orthodoxam viam adductis vel expulsis infidelibus, propagare, verum etiam ne qua heresies labes aut sufficio in iam sibi subditis nationibus sacro sanctam Religionem commaculet, summo studio prouidere: ac si quis iam oriri cuperit, eam omni ope, omniq[ue] curâ, iuxta normam à sancta Romana Ecclesia hactenus obseruatam, delere penitus & extinguere. Quendam fratrem Martinum Lutherum, Ordinis sancti Augustini, erroribus & heresis, ab Orthodoxa Fide longe alienis, Religionem Christianam, in inclita presertim Germanica natione infidere conatum. A sanctissimo in Christo Patre Leone X. sacro sancte Romane & universalis Ecclesiæ Summo Pontifice, ad quam Fidem Catholicam, & Ecclesiæ Sacra menta curare spectat, predictum Martinum à principio clementer & paternè monitum esse, ut à nefandis huismodi inceptis desisteret, & iam sparsos errores reuocaret. Quod cum ille neglexisset, & peiora semper prioribus adderet, conuocatis sapientiis Renerendissimis sancte Romane Ecclesiæ Cardinalibus, Episcopis, & aliis Prelatis; necnon Regularium Ordinum Prioribus seu Ministris Generalibus; ac certissimis pluribus scientia & probitate prestantibus viris, & in omnibus doctrinarum & linguarum genere eruditis; ac diuersarum Christianarum nationum Doctoribus & Magistris (non paucissimis quibusdam Aulicis, ut Polanus,*

Polanus, alibi à nobis memoratus mentitur) praedicto tamen Martino prius vocato ac citato, ac in contumacia persistente, ipsius scripta, ut perniciosa, & Fidei, unitati Ecclesiae contraria, auctoritate suâ Apostolica, prefatorumq; ad hoc accedente Cardinalium consilio & assensu, ac Episcoporum & Prelatorum, Doctorum & Magistrorum maturâ deliberatione, damnasse. Lutherum, perinde ac in manifestam Ecclesiam perniciem furens rueret, complures accrueatim libros, non modo nouarum, sed etiam à sacris Conciliis olim condemnatarum heresum plenos diuulgare: Extremam Vnctionem cum VVicelio, fictionem dicere: Liberum arbitrium prorsus nullum esse, sed omnia certâ lege stare, ex Manichei quidem, & ex VVicelio penu depromere, & tamquam irrefragabili arguento Doctorum carminibus confirmare: De Purgatorio, & animarum que in eo expiantur statu, deq; diuini Sacrificij & veniarum suffragiis, que à nobis fideles defuncti expectant, cum VValdensibus & VVicelistis contra Ecclesiam sentire: De Ecclesia vero ipsa militante, cum Pelagianis & Husitidis, sacrosanctis Conciliis palam contradicere, & pro suo arbitratu detrahere: Concilium Constantiense synagogam satane, quiq; in coconvenierant, & Ioannem Husum Heresiarcham comburi iussérunt, Sigismundum utique felicis recordationis Imperatorem, & sacri Imperij Principes, Antichristum & suos Apostolos, homicidasq; & Phariseos vocare. Et ne omnia, que innumerabilia sunt Lutheri errata, singulatim percensemiantur, tamquam si hic unus non homo, sed diabolus ipse sub hominis specie, ad perniciem humani generis assumptâ Monachi cucullâ, quam plurimorum hereticorum damnatissimas heresiam diu sepultas in unam sentinam congesserit, & aliquas etiam nouissimè de suo excogitauerit; sub simulatâ predicatione Fidei, quam ad praetextos suos dolos tam sepe tantoq; opere obicit, Fidem veram prorsus destruere: sub libertatis, quam promittit, specie, diaboli iugum & seruitutem inducere; & sub Euangelice professionis nomine, omnem Euangelicam pacem & charitatem, omnemq; rerum ordinem, & pulcherriam denique totius Ecclesiae faciem inuertere, labefactare, & penitus perfundare moliri.

Dein commemorat Cæsaris clementiam: Eum in Conuentum accessum fuisse fide publicâ datâ: concessum sepius ad resipiscendum spatiu, crebris doctorum hominum, ac Principum hortationibus monitiq; adhibitis, oblatâ noxarum venia, tum suo nomine, tum à Pontifice imprestandâ: sed cum semper contumaciis fuisse insolecentem, sacerdâ, & laicâ Pontificis, Ecclesie, Occumenicorumq; Conciliorum auctoritate. Vbi aduertere licet, hîc haud connumerari conditions à Treuirensi propositas; quippe non publico, sed priuato nomine oblatas.

Mox ait: Se tandem ad reliquias opportunas medelas, huic pestilentissimo morbo necessarias, Romanog; Pontifici & sanctâ Sedi Apostolica debitanas.

1520. tam reverentiam, ex Imperiali & Regia auctoritate, nec non consilio & sensu Electorum, & omnium Sacri Imperij Principum, Ordinum, & Statuum, Martinum Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei alienatum, ut obstatum schismeticum, & notiorum hereticum habendum decernit: denuntiatisq[ue] grauiissimis paenit mandat, ne quis praesatum Martinum Lutherum receptare, defendere, sustentare, sonere dicto, facto, aut scripto presunat. Quinque, post elapsum viginti dierum terminum, contra eum, ubique deprehensus fuerit, procedant: eiusdem Martini complices, fautores & sectares, nec non eorum omnia & singula bona, mobilia & immobilia capiant, & in usus suos optimo & pleno iure conuertant. Mandat insuper: Ne quis Martini Lutheri scripta, à Summo Pontifice auctoritate sua Apostolicâ damnata, aut alia quæcumque, tam Latino quam alemanno, seu alio quouis idiomate ab eo hactenus composita, vel in posterum componenda, ut pote mala, suspecta, & à notorio & perniciösimo heretico prouenientia, emere, vendere, tenere, legere, describere, imprimere, aut describi, vel imprimi facere, assertare, sustentare, predicare, defendere presumat.

Præterea præcepit: Ne quis famosos libros, seu quascumque alias scholas, scripturas, imagines, contra Orthodoxam Fidem, bonos mores, & id quod sancta Romana Ecclesia hactenus obseruauit: atque etiam inuestigias, criminaciones, & ignominias contra Summum Pontificem, Sedem Apostolicam, Prelatos, Principes, Vniuersitates studiorum, & eorum facultates, honestasq[ue] personas, componere, scribere, imprimere, depingere, vendere, emere, tenere, habere audeat: iubenturque omnes cuncta haec igni comburere.

Demum lex promulgatur: Ne quis calcographus, & librorum impressor, aut alius quavis, libros ullos, seu altam quamcumque scripturam, in quibus de sacris Literis aut Fide Catholica aliquid vel minimum tractatus, non habito prius consensu & voluntate Ordinary loci, aut eius ad hoc Substituti & Deputati, cum auctoritate etiam Facultatis Theologicae alicuius propinque Vniuersitatis imprimat.

Huiuscemodi fuit iudicium ab vniuersa Nobilitate Senatuque Germaniaæ solemniter pronuntiatum de Luthero, eiusque doctrina atque scriptis; de auctoritate Pontificis, Sedisq[ue] Romanæ; de ipsius definitionum firmitate; de iis quæ Leo X. egit in illa causa; de diplomate, quo illam decernit; de pondere & æxitate eiusdem diplomatis. Quod speciem tam diuerlam præsefert ab iis quæ Suavis id temporis Germaniaæ sensis appingit, quam diuersa planè est vera Pontificum Romanorum facies, ab ea quam heretici quandoque confinxere.

HISTO-